



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Concilium Africanum IV. Svb Innocentio Anno Domini 407.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

98 INNOCENTIVS CONCILIVM HONORIVS THEODOSIVS IMPP.
P. I.

rum coercitio quæ, qualis; cuiusve utilitas.

putati, imperatorem cōuenissent, priuatæ episcoporum, &c inter alias Maximiani Baiaiensis episcopi querelæ præcucurrerant. Ut ergo Donatistarum furor & sauitia coerceretur, Honorius imperator diuer-
sas sanções adiecit, quibus mulctam aurariam decem librarum iisdem persoluendam imposuit: testamento aut donatione aliquid ac-
cipere prohibuit, emptionis & venditionis contractu interdixit, ac
demum recusantes redire ad vnitatem ecclesiæ relegari mandauit.
Harum legum seueritate & timore plurimi ad ecclesiam reuersi fue-
runt: idque magno totius Africanæ ecclesiæ gaudio. August. epist.
48. 50. & 68. Quam ob causam Stilicone secundum & Arthemio
consulibus, anno nimirum Christi 405. Innocentii 4. Carthagine
conuenientes, nihil aliud decreuerunt, quam ut per legationem ad
comitatum ablegatam, imperatori de illis, qui relicto schismate ad
catholicam ecclesiam rediissent, gratiæ agerentur. Vide Baron. an-
no 405. num. 34.

ANNO
CHRISTI
405.

Decreta
legatio quæ
imperatori
gratias a-
git.

TOLETANA SYNODVS

S V B I N N O C E N T I O.

N O T A.

HÆC est illa Synodus Toletana, in qua de ordinationibus perpe-
ram factis actum fuit, & ad quam Innocentius epist. 23. supra
extantem scripsit. Hanc ab illa priore sub Anastasio habita diuersam
esse, supra in notis eiusdem Synodi probauimus, quas consulere po-
teris.

CONCILIVM AFRICANVM IV.
S V B I N N O C E N T I O

Anno Domini 407.

EX TAT Græce & Latine infra in Concilio Africano sub Cæle-
stino: Incipit sic: *Gloriosissimis imperatoribus Honorio septimum,*
& Theodosio secundum, iterum Augustis consulibus, Idibus Iunii, &c.
cum sequentibus capitulis: quorum primum in Mileuitano II. est
numero nonum, & in Africano, sexagesimum secundum.

ANNO
CHRISTI
407.

Locus &
tempus
Concilii.

[Concilium Africanum.] Hoc Concilium, ut ex annotatis consu-
libus liquet, habitum fuit Carthagine anno salutis nostræ 407. qui
est Innocentii 6. Arcadii & Honori 13. inter alia statuta ibidem de-
creta est legatio ad Honorum imperatorem, pro defensione rerum
ecclesiasticarum aduersus Donatistas, atque paganos: sanctumque
ut ad comitatum euntes formatas acciperent ad Romanum pon-

ANNO CHRISTI 407. tificem, a quo aliam quærerent formatam ad imperatorem: ideo sa- ne ne hæretici catholico nomine velarentur. Nam illi tantum, teste Optato, manifesti catholici habebantur, quos cum Romano pon- tifice communicare, formatæ ab eo acceptæ testabantur. Præcep- tum est etiam, vt formatis dies Paschæ illius anni apponatur: & si propter nondum diuulgatam diem Paschæ is definite non scire- tur, decretum est apponi diem anni præteriti, scilicet, post diem Pa- schæ anni præteriti: vt euenire solet, cum in publicis scriptis, post consulatum, quid factum scribitur.

Placuit etiam ut de diffensione.] Romanus pontifex in causa S. Ioan- nis Chrysostomi aduersus Theophilum Alexandrinum, & in omnes alios episcopos, qui cum illo aduersus eumdem Chrysostomum con- spirarant, mirum in modum commotus fuit; adeo ut missas ab illis epistolas accipere noluerit. De hac diffensione Theodorus diaconus apud Palladium hæc ait: *Est autem Romanae ecclesiæ sententia, non com- municare in finem usque orientalibus episcopis, maximeque Theophilo, donec Dominus uniuersalis Synodi tribuat locum, ac per eam cures pu- trida membra eorum qui ista gesserunt.* Publico itaque Decreto lega- tis Romam missis mandatum est, vt Africanam ecclesiam, per literas ad Innocentium scriptas, Romanæ ecclesiæ reconcilient. Baronius anno 407. num. 4. & 5.

Can. 63.
Romanus
pontifex
Chrysosto-
mi iniurias.
vindicat.

CONCILIVM AFRICANVM V. ET VI. SVB INNOCENTIO

Anno Domini 408.

ANNO CHRISTI 408. EX TAT Græce & Latine infra in Concilio Africano: suntque ambo huius exordii: *Basso & Philippo viris clarissimis consuli- bus, &c.*

N O T A.

** Concilium.*] Post Stiliconem occidentalis imperii perduellem ac proditorem, ab Heracliano anno Christi 408. imperfectum, in Africa gentiles & Donatistæ falso rumore iactabant, nequaquam ex volun- tate Honorii imperatoris, sed opera dumtaxat Stiliconis leges contra se latas exitisse, adeoque earumdem auctoritatem vna cum ipso Stilicone extinctam esse. Vicissim itaque in catholicos insurrexerunt, plurimosque etiam episcopos necauerunt. Hac occasione Carthagine duobus Conciliis duas legationes ad imperatorem de- creta fuerunt: quæque per Stiliconem in hæreticos & gentiles sta- tuta erant, Honorius per legatos & Augustini epistolam solicita- tus, ex sua sententia multis rescriptis confirmauit & ampliauit. Ba- ron. anno 408. num. 18.

Causa
Concilio-
rum.

Decreta &
acta Con-
ciliorum.